1485

17.

*Benè vertat*

NUMEN DIVINÆ TRIADIS.

Hanc Theſium Syllogen

*De*

# EPILEPSIA,

Quam

Conſentiente Ampliſſimâ & Gratioſiſſimâ Facultate Medicâ, in illuſtri, ad Salam, Academiâ,

SUB PRÆSIDIO

*VIRI*

*Ampliſſimi, Excellentiſſimi atque Experientiſſimi*

DN. WERNERI Rolfinck/ HAMBURG. Philoſ. & Medic. Doctoris celeberrimi, Praxeos & Chimiæ P.P. meritiſſimi, Facultatis ſuæ Senioris graviſſimi, Dn. Præceptoris, Promotoris & Patroni ſui æviternùm colendi

*Publicæ Iátrogoniſtarum censuræ ſubjicit*

M. JOSEPHUS CLAUDERUS, è Miſniâ ALTENBURGICUS,

*In Auditorio Medico*

Ad d. Septembr.

JENÆ

Typis STEINMANNIANIS, Anno Salutiferi Partus Virginei

MDCXXXX.

Σὺν Θεῷ παλάμᾳ!

EPILEPSIA, dictu quidem monſtroſum, aſpectu verò monſtroſius morborum monſtrum, horrendo æquè pulſat pede *Regum*, turres ac *Pauperum* tabernas, tàm teneram *Juvenum* carminat lanam, quàm ſtrigoſam *Seniorum* dilacerat medullam;

*Quin etiam ſubitò vi morbi ſæpè coactus* Lucret. l. 3.
*ante oculos aliquis noſtros (ut fulminis ictu)*
*concidit, & ſpumas agit, ingemit, & tremit artus,*
*deſipit, extentat nervos, torquetur, anhelat,*
*inconſtanter & in jactando membra fatigat:*
*Nimirum quia vis morbi diſtracta per artus*
*turbat agens animam, ſpumanti, ut in æquore ſalſo*
*ventorum validis ferveſcunt viribus undæ.*

Itaq; cum tanta ſit hominis in hoc malo miſeria, & tàm frequens etiam malum, non inutilem collocabo operam, ſi illa, quæ hinc inde apud probatos tàm *Galenicæ* quàm *Hermeticæ Doctrinæ* autores, de hoc afffectu lectione obſervare licuit, in Diſputationis cancellos redigam, & Doctorum examini ſubjiciam. Quod dum facio, Tu, ô benigne JOVA, clementer juva, & cœptis annue, quò vergant omnia ad Nominis Sanctiſſimi tui Gloriam, & noſtrum emolumentum!

DEFINITIONEM Epilepſiæ primò omnium attingo, præmiſsâ I. ejus ETYMOLOGIA, qua dicitur Επιληψία à Græco λείπω ſeu ἐπιλείπω derelinquo, quòd ſenſus communis, ſeu ratio derelinquatur. *Stupanus* eam deducit ἀπὸ τȣ̃ ἐπιλαμβάνεσθαι, ab apprehendendo, corripien-

do, invadendo, ſiquidem cerebrum, ſubjectasq; partes inopinatò apprehendat, captivasq; reddat, ut functiones fatiſcant omnes. II. HOMONYMIA, qua dicitur Epilepſia ſomnus, impropriè tamen, & III. SYNONYMIA: unde *Hippocrati* eſt *ἱερὴ νόσος*, *morbus ſacer*, & *Aretæo divinus*, *vel* quia Dei flagellum pœnæ loco inflictum cenſebatur, potiusve divinâ quàm humanâ poſſit eruncari ope; *vel* quòd cerebrum, quod mentis metropolis, ſacrumq; animæ priſcis dictum & habitum fuit templum, impetuosè devaſtet; *vel* quòd anima ſub conflictu epileptico, ob enormem cerebri concluſionem, ab omnibus externis diſtracta, in futura, quandoq; contemplando incurrat, taliaq;, exantlato jam Paroxyſmo, Epilepticus ediſſerat. Appellatur & *ἡρακλεῖον νόσημα*, *Herculeus morbus*, ut eo nomine τὸ *δυσκαταμάχητον*, quod nempe Herculeam ac rebellem indolem, arenâ cedendi neſciam referat, & vel generoſisſimis ac genuoſisſimis crudeliter recalcitret medicamentis; *vel* quia ſit fortis in proſternendo homines, ſicut Hercules. *Morbus* item *Lunaticus*, quod pro Lunæ greſſu, progreſſu, regreſſu, ſuum ſtadium currat, decurrat, recurrat; creſcat, adcreſcat, decreſcat. Ut nec minùs *Morbus Comitialis*, quod in Comitiis, aliisq; congregationibus in magnâ hominum coronâ fulmina epileptica in obnoxios huic malo detonârint. *Galenus παίδων πάθος ἢ νόσημα & Lucretius Morbum primum.* indigitavére, quod horriſonus ille Boreas epilepticus viride & tenellum illud germen ac elumbe *πλάσμα* utplurimum circumgyrare, aut etiam factâ teneris ſub ungviculis invaſione cum eodem adoleſcere, vigeſcere ac conſeneſcere aſſoleat. *Avicennæ Puerorum Mater* dicitur, concinnè & appoſitè magis dicenda *Noverca injuſta*, imò injuſtarum injuſtisſima, *Chimicorum* Dialecto audit *morbus vitriolatus* & *ſalinus*, Germanorum verò die ſchwere Noth/fallende Sucht/das ſchwere Gebrechen/Freſel etc.

*l. de morbo ſacro.*

*Joh. Arculan. in IX. Almanſ. de Epilepſ.*

*Celſ. l. 3. c. 23.*

*Joh. Bapt. Mont. cent. 1. conſult. 51. f. 262.*

*6. in 6. Epid. t. 7.*

DEFINITUR Detentio functionum animalium, tàm principum, quàm minùs principum, cum motu convulſivo totius corporis, repetente per intervalla, dependens ab inſigni irritatione membranarum cerebri & nervorum.

FORMA ſeu GENUS eſt detentio functionum principum

pum, *cognoſcentis, imaginativæ, & memoriæ, ſenſuum* item *exter-*
*norum*, conjuncta cum depravatione *motricis* non ſolùm *na-*
*turalis*, verum etiam *animalis*. *Galenus* triplicem differentiam *2. Cauſ.*
conſtituit depravatorum motuum, ſed non ſatis clarè addit, *ſymptom.*
ad quam præſens hic ſit referendus; fortè reduci poteſt ad il- *c. 1.*
los, qui fiunt operâ irritatæ Naturæ à cauſâ morbificâ. Ex qui-
bus intelligitur Epilepſiam ſymptoma eſſe ex genere functio-
num animalium omnium, principum quidem & ſenſus *aboli-*
*tè* ſeu *diminutè*, motus verò *depravatè* læſarum.

Subjectum ſive illa pars, quæ πρώτως conflictus ho-
ſce exantlare tenetur, eſt Cerebrum, quod afficitur vel *Gal. l. 3.*
καθ' ἰδιοπάθειαν vel κατὰ συμπάθειαν. *Cujuscunq; enim* *loc. aff.*
*enim partis actiones primò, omniumq; maximè labaſcunt, & vel dimi-*
*nutæ, vel depravatæ, vel abolitæ ceſſitant, illa pars verum morbi alicu-*
*jus ſubjectum conſtituit; atqui in Epilepſia primò, omniumq; maximè*
*actiones Cerebri hancce incurrunt noxam, & vacillant*, E. Majoris *l. 1. loc. aff.*
veritatem Galeni in plurimis locis, aliorumq; Medicorum *c. 1. g.*
fulcit & evincit Autoritas, & concatenata ſententia. Mino- *l. 2. loc. aff.*
ris probatio ex ipſa conſtat αὐτοψίᾳ, Epilepticos ſenſu prin- *c. 7. b. &*
cipisq; facultatis irradiatione orbatos, in ipſo paroxyſmi actu *c. 9. f.*
prorſus jacere mortuis nō diſſimiles. *Hipp. tom.*

Afficitur autem cerebrum ſecundum membranam te- *1. lib. de fla-*
nuem (*partem exquiſitiſſimi ſenſus*) per totum cerebri ſpatium, *tib. f. 25. b.*
præcipuè autem ventriculorum parietes extenſam, ut & per *Alex. Trall.*
baſin cerebri, qua ſpinalis medulla ex quatuor ſuis radicibus *l. 1. de arte*
conflatur. Hujus namq; vis expultrix ab acribus, acidis, mali- *medic. c. 15.*
gnisq; vaporibus, potiusve fumis & exhalationibus vellicata
ac laceſſita motricem facultatem in conſortium rapit & ex-
ſtimulat, ut in arma ſua ſe colligendo ad convellendum pri-
mò cerebrum, ac propter cerebrum etiam Nervos, muſcu-
losq; totius corporis, inſurgat, quo hoſtis expugnetur, ſacraq;
Palladis arx propugnetur. Interim ſpiritus animales miris
modis perturbantur & commoventur, adeoq; actionibus ani-
malibus obeundis debito modo inſervire nequeunt; motꝰ
verò convulſivi pro halituoſæ materiæ copiâ vel inopiâ ma-
jores, longiores, vel breviores; ac pro ejus qualitate magis,
minusve acri ſeu virulentâ, vel crudeliores, vel blandiores
proſultant.

 Cau-

Causam Proximam ſtatuimus eſſe *vellicationem membranarum, facultatiſq; expultricis irritationem* à tenui ſeu vaporosâ quadam materiâ vel potiùs ſpiritu maligno, cerebro & nervoſo generi, peculiariter atq; ſingulari modo infenſo, nec non Διάθεσιν epilepticam, *(nobis occultam,)* ſecum ferente, ut loquitur *Sennertꝰ, alter ſeculi noſtri Hippocrates.*

Causæ Antecedentes Internæ *quoad continentia & partes ſolidas*, ſunt *ante omnia* primogenia vel hæreditaria aut etiã adventitia cerebri imbecillitas: *Jus enim hæreditarium ut ratione bonorum, ſic & morborum ad Sobolem ſeſe diffundere, ac transvaſare ſolet. Sunt deinde* ventriculi, epatis, lienis, meſenterii, inteſtinorum, renum, uteri, vaſorum ſpermaticorum, venarum, nervorum &c. vitioſa Διάθεσις, cujus ideam

*l.1.obſ.191.* unam atq; alteram exhibet *Schenkius & Scholiographus in Holler.*
*192.&ſeqq* *de morbis intern.* Quò ſpectat illud Ætii: *Non impoſsibile eſt, circa*
*l.1.c.16.p.* *aliquas non principales partes ejuſmodi eſſentiam generari citra exter-*
*140.* *nam cauſam, & hanc ipſam, ubi in nervoſa parte conſtiterit, vim ſuam*
*Foreſt.l.10.* *per continuitatem ad nervorum principium tranſmittere. His annume-*
*de morb.* *rantur* cerebri abſceſſus, corruptæ meningum portiones, cor-
*cereb.obſ.* ruptio oſſis calvariæ, uti & angvem ſub herba latitantem, ac
*67.in Schol* epileptica vulnera non rarò infligentem ceu in ſinu fovent illi, qui imbuti ſunt cerebro & orificio ventriculi εὐαισθήτῳ ob raram membranarum texturam; illi etiam qui ingenii acumine pollent, huic morbo frequenter conſecrantur, ob tenuem & valdè ſenſilem cerebri ſubſtantiam, unde *Florentinis, inquit Rondeletius,* magis familiaris eſt Epilepſia, quàm reliquis Italiæ incolis.

*Quoad contenta* verò ſunt ea, quæcunque ſpecificam illam corruptionem pati, atque ita materiam acrem, malignam, cerebroq; adverſam ſuppeditare poſſunt; qualis eſſe poteſt etiã Ipse Sangvis extra limites debitæ naturæ conſiſtens, ut & humores reliqui: Pituitosus facilè coacervatur vel recipitur ratione ſymboli à natura, cum ſit frigidus & humidus, cerebrum quoq; frigidum & humidum. Melancholicus quoque aptiſſimus eſt præcipuè apud Literatos; diſcurſibus enim multis & cogitationibꝰ maximis ſangvis à naturali temperie ſeducitur, & aduritur, & h. m. aliquam occul-

tam

tam corruptionem acquirens (inprimis cum ſit permiſtꝰ quibusdam ſeroſitatibus) faciliméq; ex vaſis capillaribus ſeſe effundens tenuiſſimas membranas offendit, easq; vellicat, & ad ſui defenſionem provocat. Sic *Franciſc. Petrarcha* ob ſtudia, ſangvine jam aduſto, & in melancholicum ſuccum converſo; ſic & *Julius Cæſar*, cogitabundus, hoc malo ſæpiùs laboraſſe dicitur. Ita *Mercuriales* ad Epilepſiam reliquis procliviores eſſe, Aſtrologorum turba prodit. SEROSI HUMORES idem præſtare poſſunt, ſi gradum illum corruptionis adipiſcantur.

Non minùs ex ſemine retento, ac putreſcente, menſtruis ſuppreſſis, ſecundinæ, fœtusq; mortui retentione, à lacte in ventriculo corrupto, aut aliis vitioſis & putridis cibis, excrementis, vermibus, ſanie & grumis ſangvinis collectis & congregatis in partibus corporis paulò antè denominatis (*quatenus inde ob corruptelam tetri, malignię; ad cerebrum exhalant vapores*) tanquam cauſis antecedentibus ſeu mediatis, Epilepſiam proficiſci firmiter ſtatuimus.

CAUSÆ ANTECEDENTES EXTERNÆ, materiam, Epilepſiæ cauſam, moventes, latentemq; illam Διάθεσιν in a-
ctum deducentes ſunt *Primò* peculiares SYDERUM concur- *Hipp. l. de*
ſiones, quæ natum excipiunt, unde σεληνιαζόμενοι dicti, quod *acr. aq. &*
Luna ſub Sole latente & ecclipſin patiente, nati, hôc potiſſi- *loc.*
mum occupentur morbô. *Deinde* AER debitæ temperiei limi- *Foreſt. l. 10.*
tes tranſiliens, utpote craſſus, nebuloſus, pluvioſus. Hujus lo- *obſerv. 60.*
ci ſunt quoq; æſtuaria & balnea humores fundentia & vapores concitantia, mora vel ſomnus ſub radiis lunaribus, ſo-
laribusq; juxta *Celſum & Stobæum*, ubi Medicus Anthyllus, il- *l. 3. de re*
los καρηβαρίας καὶ ἐπιληψίας ἀνακινεῖν, ſcribit. Adde his *med. c. 23.*
*Tertiò* capitis ICTUS, vulnera, percuſſiones, inciſiones membranarum cerebris, aut partium nervoſarũ, dolores ac enormes cruciatus, quales infantes tempore dentitionis lancinant,
quales etiam infligit inſignis ac *maleferiata Colica*, cujus *Paulus* *l. 3. de re*
mentionem facit, calculum ſuum adjiciente Ætio, dicente: *med. c. 13.*
*Colicam à tenuibus & acribus humoribus, convulſiones, maximè ubi cir-* *tetr. 3. ſer-*
*ca os ventris fuerint aggregati, comitari.* *Quartò* ſunt MOTUS gy- *mon. 1. c. 29*
roſi aut violentiores, ac intempeſtivi, præſertim à cibo, poſt *Gal. 6. de*
immoderatam repletionem, omnium maximè, quorum ce- *ſan. tuen.*
rebrum *c. 7. lit. H.*

rebrum nutat, vel vitioſâ humorum colluvie natat, aut quorum corpora cacochymiâ turgent; motus enim illi vehementiores & concoctionum officinam, quiete gaudentem perturbant, & evaporationum nebulas ad cerebri palatiũ effumant. Eſt *quintò* VICTUS intemperantisſimus, obſoniorum & ferculorum, *(non omnium æquè melioris ſucci)* varietate confertus, nullo ordine inſtructus, ſupra ſatietatem, ferina quadam voracitate gravis *(ut ſolent, qui gulæ & abdomini naſcuntur)* qui viſcera, venas, habitumq; totum cruditatibus inquinat, & flatibus turgere facit, qua vi & virtute egregiè inſuper inſtruuntur cibi ex allio, cepis, fabis, fungis, lentibus *(de quibus*
*l. 1. obſerv.* *Schenkius offert exemplum)* & quorumvis animalium terreſtrium
*219.* carnibus, ſale, ſolequeincruſtatis, atq; fumo induratis conficiuntur.

*l. 1. c. 15.* *Trallianus* eſculenta & potulenta dulcia à cibo fugienda
*in fine.* ſubmonet, quod hæc, præſertim quibus flava bilis ſtomacho innaſcitur, affectum irritent. Malè audit & potus VINI ge-
*l. 3. de tem-* neroſi, vetuſti, immodicè ſumpti, *Galeno* quoniam citò pene-
*per. c. 2.* trando caput vaporibus repleat; & *Ariſtoteles* vini uſum nu-
*lit. G.* tricibus interdicit. *Trallianus* verò non niſi mediocriter tenue
*l. 1. art.* & boni ſucci annuit, meraco itidem nihil magis nocivum ex-
*med. c. 15.* xiſtere, præſertim in balneo: Horum autem *ratio* forſan inde pendet, *quod vini mater (ſubintellige vitem) plusquam aliud ullum vegetabile metallicos terræ ſpiritus hauriat & depaſcat, hincque ſalium vitriolatorum copiâ ſcateat, qui non ſatis concocti, ſed quadantenus venenati* (ut ita dicam) Διάθεσιν *hanc* ἄῤῥητον *inducunt, ebullitionemq; humorum, non ſecus ac ſulphur cum ſale petræ detonans,* ἀντιπραξίαν, *efficiunt.*

Superflua etiam & intempeſtiva VENUS quàm maximè hunc introducit morbum, non tantum ob defectum ſpirituũ animalium, quos depaſcit, nimiamq; commotionem humorum; magis autem peccantium in corpore impuro: ſed etiam ſingularem ſuam ἀντιπάθειαν, qua nervoſum genus & cerebri actiones lædit; cũ & tempeſtiva ἡ Συνουσία *Hippocrati*, (citante *Stoboeo)* ἐστιν ἐπιληψία σμικρά; quam etiam repræſentat *ſternutatio.* Accedunt deniq; *Animi pathemata*, quæ, ſi modũ excedant, morbi hujus crudelisſimi proventum augent: *Ira*

qui-

quidem commotione bilis, *Melancholia* verò fuliginum atrabilarium nebulis, cerebri εὐταξίαν deſtruit, & evertit.

Hactenùs ea, quæ, *quantitate excedente*, fomitem Epilepſiæ largiter præbent. Sunt etiam, à quibus, *quoad deficientem*, eadem cauſatur, videlicet à FAME NIMIA, *cibiq; abſtinentiâ*, huic morbo inimiciſſimâ, ut, quæ inter ea, quæ caput replent, excellat, &, à qua imbecillior ſtomachus graviter offendatur, ut ſcrib. *Galenus*. *Idem Grammaticum*, quoties, ob ingruentia negotia, diutiùs à cibo retractus, inediam ſuſtinuerat, convulſione vexatum, quaſi pro ſpeculo obtendit; quo tamen magis inclinant *picrocholi*, ſeu amaræ bilis homines, aut, quibus ſtomachus cacochymicô eſt imbutus ſuccô, aut aliàs imbecillis, ſenſibilisq; nimiùm. Omnes enim hi ægerrimè ferũt inediam.

*l. 1. de loc. aff. c. 5.*
*l. 5. loc. aff. c. 6. lit. F.*

Addimus VITAM *nulli exercitiorum generi expoſitam*, quietiq; ignavæ deditam, epilepticis fomitibus, ſi quæ alia, lampada ambabus porrigentem manibus: ab eâ enim pororum cutis, ut & reliquorum viſcerum, viarumq; obſtructio originem maximè ducit; hinc ne minimùm eventilatur, & educitur: Ingluvie autem aliisq; commemoratis cauſis, obrutô calore nativô, vires & facultates, præſertim naturales, *(quæ illius beneficiô foventur)* impediuntur, debilitantur, nec inordinatè quotidiè congeſtam alimentorum molem, modificare atq; domare valent, unde non poteſt non, cruditatis & impuritatis acervus in corpore conglobari, de quo deinde pabulum largè ſuggeritur continenti cauſæ, ſeu proximæ, quam in cerebro ſuperiùs conſtituimus.

AD DIFFERENTIAS deſcendendo, ratione SUBJECTI duas agnoſcimus: *Unam* per ἰδιοπάθειαν ſive *eſſentiam*, quando in partib9, capiti ſubjectis, nulla reſtagnat cauſa morbifica, unde ad cerebrum fuligines effumigare queant, ſed igniculæ cauſæ in cerebro gliſcunt, ſive hoc contingat κατὰ πρωτοπάθειαν, generatione cauſæ morbificæ in ipſo cerebro, ita ut cerebrum, ſine partium inferiorum conſenſu, ſit enervatum, ſive κατὰ δευτεροπάθειαν, translatâ ad ipſum causâ, vel per *criticam* διαδοχὴν, vel *ſymptomaticam* μετάστασιν. *Alteram* Epilepſiam fieri dicimus per Συμπάθειαν ſeu *conſenſum*, quando vel ex ipſo corporis habitu, vel uno ex viſceribus, præſertim ventricu-

triculo, ejusq; ſiniſtro orificio, *(quod omnium νευροδέστατον, propterea᷈q; cerebro συμπαθέστατον)* meſenterio, utero, liene, quandoq; & inteſtinis aura quædam maligna, vel ſola, vel cum humore quodam ſeu ἀναθυμιάσει conjuncta in cerebrum effertur, in eoq; peculiari & ſpecificâ ſuâ malignitate moleſtiam concitat.

Ratione CAUSARUM tot ſunt Differentiæ, quot cauſæ ipſæ: ſic alia eſt *Hereditaria*, alia *Aſcititia*; alia *Sangvinea*, alia *Phlegmatica*, alia *ললioſa*, *Melancholica* alia.

A MAGNITUDINE, alia *gravis*, alia *levis*. *Gravis* dicitur, vel *ratione partis præſtantis*, ubi cerebrum, ceu pars præſtans, violentisſimè concutitur; unaq; cordis meditullium violentibus obruitur ſymptomatibus: vel *ratione læſarum facultatum*, corpus noſtrum gubernantium, ubi adeò truculenta, longiùsq; durantia ſeſe exhibent ſymptomata, quæ, vel primo congreſſu, alterum ægri pedem Cymbæ Charontis intrudant: vel *ratione ſenſuum mirum in modum affectorum*, aut ubi, quod ſiniſtri plerumq; eſt ominis omen, per veſicam urina, per alvum, verò excrementa involuntariè extruduntur. *Levis* contrà, ubi & cauſæ & ſymptomata ſunt leviora, breviora, benigniora, in tantum, ut vel ægri minùs crudeliter convellantur, vel etiam brevi admodum, ſeſe recolligant. Qua blandiori fronte, *infantulos* dentitionis tempore, *puellas*, menſtruorum clauſtris nondum reſeratis, *prægnantes*, uteri lacunâ ſqualidas, aggredi: eveſtigiò verò dolore gingivarum cicuratô, menſibus fœtuq; prorumpentib9, terga dare Epilepſia illa cõſvevit.

A MOTU & DURATIONE morbi, alia *Diuturna*, *Brevis* alia. AB EVENTU alia *ſalutaris ſeu curabilis*, alia *Lethalis & incurabilis*; utraq; vicisſim talis vel ἁπλῶς vel κατά τι.

Ad SIGNORUM fontes tranſilientes, omiſſis ἀναμνηστικοῖς arripimus Διαγνωστικὰ & Προγνωστικὰ, eò quòd *(cùm boni Medici ſit, non modò, quæ ante pedes ſunt, videre, ſed etiam ea, quæ futura ſunt, proſpicere)* horum beneficiô, quid proprio *Naturæ* marti relinquendum, quid, quantumq; *Arti* tribuendum, ægrisq;, aut adſtantibus promittendum; innoteſcat. Tacco, quòd *Præſagia Medicum non modò admirandum & ſuſpiciendum faciant, verùm etiam à mortis crimine vindicent, ut habet in Prognoſticis Hippocrates.*

Signa

Signa ΔΙΑΓΝΩΣΤΙΚΑ Antecedentia, & quidem *Idiopathica*, ſunt Paroxyſmus creber, ſine omni aliorum accidentium præſenſione, ſine futuræ acceſsionis metu, ſine præteritæ recordatione, adeſt inſignis capitis dolor & gravitas, adeſt vertigo, pigritia corporis ad motum, aliasq; actiones, turbulentæ inſomniorum imagines, oblivio ac cogitationum interitus, mœrores innumeri, ſine cauſa triſtitiæ (*ſi prædominetur melancholia*) actiones extra paroxyſmum plùs vitiatæ manent, quàm in iis, quæ per conſenſum: quidam, & ſtulti fiunt & melancholici: Symptomata omnia ſunt vehementiora, & frequenter apparent circa novilunia, & plenilunia.

*Sympathicam, ratione cordis,* demonſtrant ejꝰ palpitatio, tremor, animi deliquium, pulſuum varietas &c. *ratione Epatis*, Hypochondrii dextri gravitas, dolor, intemperies, obſtructio, color citrinus, aliaq; ſigna Epatis varias affectiones arguentia: *ratione Lienis*, ejus debilitas, obſtructio, inflammatio, ſcirrhus, hypochondrii ſiniſtri gravedo, diſtenſio, dolor, æſtus in præcordiis & hypochondriis, antegreſſa melancholia hypochondriaca vel quartana: *ratione Ventriculi*, dolor circa orific. ſiniſtrum, *ἀνορεξία*, ſive appetitus proſtratus, nihilominùs tamen turbatio quædam & eroſio, *βραδυπεψία*, ſeu coctionis imbecillitas: *ratione Uteri*, omnia uteri mala, rugitus ac ſtrepitus, circa ventrem inferiorem, lumborum tumor, gravitas, & dolor pectinis, ingvium, dorſiq; inferioris, cum totius corporis laſſitudine, quibus ſe aſſociant menſium ſuppreſſio, vel imminutio, fluxus inordinatus maleq; coloratus, ſeminis retentio, ejusq; corruptio in viduis, viris, & miſeris religioſis, in cancellis detentis, atq; à coitu abſtinentibus: *ratione Vermium*, narium pruritus & frictio, facies pallida, eadem ſubitò rurſus incaleſcens, & rubens, morſus ac dolor ſtomachi & inteſtinorum, atq; hinc frequens abdominis contractio, ejusdem inſolita durities, membrorum *ἀτροφία*, vermium cum excrementis egeſtio.

ΔΙΑΓΝΩΣΤΙΚΑ Consequentia ſeu Pathognomonica in conſpectum prodeunt, ſubitaneô & improvisô in terram lapſu, ſenſus & principis facultatis interceptione, mo-

tu membrorum convulſivô, faciei variâ contorſione, ſtertore, lingvæ exertione, dentium inter ſe colliſione, arcta digitorum contractione, oculorum inverſione, oris ſpumâ, ſtercoris & urinæ profluxu, & ſi quæ ſunt alia, quæ enucleatiùs per-
*l.1.de cauſ.* tractat *Aretæus.*
*& ſign. a-* Signa ΠΡΟΓΝΩΣΤΙΚΑ terminum ſalubrem, vel
*cut. morb.* inſalubrem; prolixiorem, vel breviorem demonſtrant. Pro-
*c.5.* vocabimus ea 1. *à Morbo* ſeu morbi eſſentiâ, 2. *ab Ægro*, ſeu, à naturâ & viribus laborantis, utpote qui duo hoſtes inteſtinali ſe invicem proſeqvuntur luctâ. Proſultat hinc

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ Ratione Morbi, I. *ab ejus Magnitudine*, & quidem 1 *quoad partis obſeſſæ præſtantiam;* Epilepſia cerebro primariò affecto; quamvis ſæpè minùs graves, magis tamen periculoſas habet acceſſiones, ideoq; deterior, quàm
*Merc.l.1.* quæ per conſenſum, licèt hæc aliquando gravisſimas, mole-
*de intern.* ſtisſimasq; agnoſcat acceſſiones: 2. *quoad cauſæ atrocitatem;* E-
*Morb.cur.* pilepſia *à Sangvine & Bile* eſt brevis & rara, *à Pituitâ* longior & gravis, cùm ſæpisſimè in Apoplexiam vel Paralyſin tranſeat, *ab Humore Melancholico* & in melancholicis affectibus, contumax & mala, tantâ enim affinitate conjunguntur, ut ex invicem naſcantur, *& Epileptici fiant Melancholici, & Melancholici fiant Epileptici, ut Hippocr.* nobis reliquit; *à Bile porraceâ* & æruginoſa pejor, *ab atra Bile* peſſima, *à ventoſitatibus* & vaporibus levior & minùs mala. Epilepſia etiam *à vermibus, ab utero* difficulter ſuperatur. 3. *quoad Symptomatum magnitudinem:* Prolixitas Paroxyſmi continenter recurrentis, ex improviſo, & absq; intervallis, ingruentis, aut minima acceſſionum intervalla habentis, longis verò motibus inſiſtentis cum dyſpnœa, vertigine, reſpirationis difficultate, ſtertore, ſtridore dentium, motibus corporis ſaltuoſis, ſpumâ multâ, urinæ, ſeminis & ſtercoris excretione, gravis eſt, raròq; curatur, quemadmodum & omnia ſigna, magnitudinem indigitantia, ſimùl etiam mortem ſignificare *Rhaſes* ſubmonuit.

II. *Ab ejus Motu:* ſi in aliquib9 acutisſima fuerit affectio, tùm ob crebras acceſſiones, tùm ob ſymptomatum vehementiam, citò occidit. In quib9 verò in longum extenditur, adeò, ut non circa pubertatem, aut lunares purgationes, aut imprægna-

gnationes ſoluta fuerit, aut, ſi poſt hoc tempus contrahatur, plerumq; commoritur. Epilepſia, quæ ſæpè accidit, & brevem habet paroxyſmum, faciliùs curatur, quàm, quæ raro accidit, & longiores habet acceſſiones: ea tamen, quæ ſæpè recurrit, & intervalla acceſſionum breviſſima habet, paroxyſmorum verò tempora longiſſima, ſymptomatum crudelitate ſtipata, peſſima eſt.

III. *Ab ejus Eventu:* Comitialem morbum, quibus ante pubertatem evenit, curationem recipere, at quibus xxv. ætatis annô, utplurimum commori; & in ſupremum vitæ diem manere, autor eſt *Hipp.* Omniũ autem maximè illum, qui poſt *5. Aphor. 7.*
*quadrageſimum* cœperit, adeò, ut in eâ ætate, aliquid in naturâ *Alex. Trall.*
ſpei, vix quidquam in medicina ſit. Nos utplurimum vera *l. 1. c. 15.*
hæc eſſe cenſemus, nam & non pauci, poſt ætatis annum 25. Epilepſiâ correpti, Medicorum ope liberati ſunt. Ita enim teſtatur *Trincavellius;* vidi, *inquiens;* ſenem quinquagenarium *l. 1. conſil.*
curatum, qui laboraverat 25. annis Epilepſiâ. Et *Foreſtus* fœmi- *29.*
nam quadragenariam, ab infantiâ caduco vexatam, liberavit.

ΠΡΟΓΝΩΣΙΣ RATIONE ÆGRI, ſeu naturæ laborantis. *Infantuli* & *Pueri*, cùm ob effœminationem, debilitatem, & mollitiem nervoſi generis, tùm ob vaporum copiam, ex cacochymicâ ingluvie *(nihil enim aliud vivere exiſtimant quàm edere, nec, præter eſitandi voluptatem, quidquam ſeqvuntur)* ad cerebrum exhalantem, item propter immoderatas nonnunquam vigilias, fletum immenſum, acresq; in dentitione dolores, epilepticis ſalaricis frequentiùs; *Juvenes* & *conſiſtentis ætatis,* rariùs tanguntur, niſi, ob errores, in aſſumendis & agendis, commiſſos, dum vel ingluviei ſunt dediti, vel humi cubant, vel ſoli, imbribusque ἀνειδέως ſeſe exponunt, vel ſub veneris caſtris ſeduliori conatu militant; *Senes* ceu Apoplexiæ Carì &c. mancipia, rariſſimè invaduntur.

Qui, finitô paroxyſmô, ejusdem recordantur, & verecundiâ afficiuntur, uti & illi, qui ſæpè, ſed leviùs cadunt, facilè reſtituuntur. Paroxyſmi facilis ſolutio, olfactu rutæ, tæ, hyſſopi, vel ſimilium, præſente reſpiratione facili, morbum etiam inſinuat curabilem. *Contrà*, ſi quis ſpumat, & oculos convertit, & fremit, & mugit, & cadit, & membra con-

trahit, huic, ùt avara ſors præſens, ſic amara mors imminens.
In Epilepſia, ſi ſimùl totum corpus afficitur néque antè in partibus aliquis venientis mali ſensûs eſt, vix ſaneſcit. Inſuper, ſi mens læſa, aut nervorum facta reſolutio, medicinæ locus non eſt, *Celſus.* Epilepſia, mentem in furorem adigens, ingeniumq; ægrorum adeò devaſtans, ut interdum infatuentur, calamitoſa, atteſtante id *Aretæo.* Properandum eſt ad

*l. 2. de re med. c. 8.*

ΘΕΡΑΠΕΊΑΝ.

In Curatione Epilepſiæ rectiſſimè ad duos ſcopos animadvertimus. *Prior θεράπευσιν*, ſeu *curationem ipſam* inſinuat, *Poſterior προφύλαξιν*, ſeu *præſervationem.* Illius uſus eſt *in paroxyſmo*, cauſam continentem conſumendo, ſpiritus efferveſcentes ſedando, paroxyſmum imminuendo, ſymptomata mitigando. Alterius uſus ſubvenit nobis *extra paroxyſmum*; cauſis ſolùm προηγουμένοις deſtinatæ, præcavet, ne earum ſurculi frondeſcant, adoleſcant, ac continentem in actum deducant, vel, ſi ſemel profligatus morbus, ne recidiva *(quæ deterior utplurimùm ſuâ matre)* ſubſequatur.

Curatio Therapeutica 1. *Agendo*; 2. *Aſſumendo:* 3. *Excernendo*, & 4. *Exteriùs adhibendo* abſolvitur.

Quoad Agenda: omnium *primò* oris ſpumam abſtergimus: *Deinde* Dentes, quos ſæpè conſtringunt *(ex convulſione temporalis muſculi, qui primùm affici ſolet, ac cerebri affinitatem)* diducimus, diductos ita ſervamus vel manibus, vel cuneo è ligno *buxi, pæon. viſci q.* quò anhelitus faciliùs reddatur, medicamentis aſſumendis via pateat, lingvæ amputationis, aut dilacerationis periculum declinetur: quem tamen modum reprehendit *Ludov. Septalius*; Sæpenumerò enim inde exciſos dentes ſe vidiſſe ait; Præfert igitur ſacculum repletum *ſinapi, caſtoreo, ruta,* & ſimilibus attenuantibus; h.m. & voti ſui etiam reddi compotes adſtantes ſine illo periculo, & morbo adverſari commodiùs. *Tertiò* Labra, lingvamque *theriacâ, mithridatiô* perfricamus. *Foreſtus ſale* conſpergit, cujus ſingularem energiam deprædicat. *Nos*, ſi in ſale communi hæc latent, multò ſubtiliora, utilioraque eſſe ſubominamur *Salia ex Ruta, Salvia, Lavend. Roſmar. Pæon. Major. Meliſſâ.* ritu parata chimicô. *Quartô:* explicamus digitos manuum, pedumq;. Membra reliqua, quæ torquentur, ac rigore cōtracta circumverſantur ut compoſitè

*Foreſt. l. 10. obſerv. 66.*

*Caut. medicinat. l. 6 caut. 51.*

*l. 10. obſerv. 64. in Schol.*

poſitè jaceant, & in quiete modicâ detineantur, curamus; omnem enim motum inhibere periculoſum, quia materia à natura diſſipari prohiberetur, eaq; in capite detenta paroxyſmũ prolongaret. *Quintò:* pedes, volasq; *ſale, & acetô rutaceô,* & ſimilibus perfricamus, quò ſenſus ſopiti reſuſcitentur, antecedentiumq; cauſarum, versùs cerebrum curſus, in oppoſitum avocetur. Non nocet frictio, cum *Ungula Alcis,* ex mente *Hercul. Saxonicæ.* *Ultimò:* Ægrum parumper agitamus, nomine compellatô, ad aures excitamus; ex ſono enim feriente vis ſenſitiva aurium excitatur; quæ revocat ſpirituum menſuram & caloris. *l. 1. pract.*

Quoad Assumenda: infundimus ori *Aq. Epilept. Langii, Hyrundin. Aq. antepilept. major.* Quercetani, quam ad curationem & præſervationem Epilepſiarum omnium, ſive idiopathicarum, ſive ſympathicarum, omnibus etiam ætatibus & temperamentis, doſi *Unc. ſ.* tutò & feliciter exhiberi jactitat. Ejusd. *aq. antepilept. minor.* item *hyrundinum* diverſarum deſcriptionum. *aq. picarum, tiliæ,* & epilepticas alias. *Joh. Agricola aq. ceraſor. nigr. dulc.* in paroxyſmo ſingulari propinâſſe dicitur confidentiâ. His omnibus commodè immiſcemus *Syrupos,* utpote *ceraſ. cum flor. tun. ſyr. flor. pœon.* & alios. Inſtillamus & guttulas aliquot *Eſſentiarum, Tincturarum, Spirituum, oleorum.* Primas tenet *Eſſentia* & *liquor Vitrioli, Spiritus vitrioli volatilis,* qui in phlegmate potisſimùm reſidet, quanquam nec ille, qui ambram redolet, vegetabili Igne circulatus, poſterior foret, præſertim in inveteratâ. Proximè his accedit *Tinctura Lunæ, Perlar. Corallor. Mixtura ſimplex, ſpir. fuliginis, ſpiritus C. C. Cranii humani, amentiæ cerebri microcoſmici, ſpir. Urinæ,* omnesq; illi, qui ſuâ λεπτομερείᾳ, in momento diſſipant, & confortant. Ex his *Spiritus Epilepticus, trium regnorum,* ſpagyricè componitur, qui ad miraculum excitat, & Epilepſiam radicitùs curat. Huc pertinet & *ſpiritus rutæ, ceraſor. nigr. lil. convall.* oleum deſtill. *Zedoar. origani, ſuccini, C. C. ungulæ alcis, tali & dentium leporis, ſalviæ, angelicæ.* Pro mulierib. hyſtericis addi poſſunt *ol. meliſſ. extract. caſtor. Pulveres* & *Magiſteria* etiam ſuas merentur laudes, qualia ſunt *Cran. hom. non humati, Perlar. Corallor. Pulvis Marchionis. Cinnabaris antimonii* rectè præparatus, præſtantisſimum eſt remedium.

*Pharmacop. reſt. p. 76.* *Paracelſ. de morb. tract. 2. cap. p. l. 72.*

Quo-

QUOAD EXCERNENDA ad *Suppoſitoriorum & Clyſtē-rum* uſum, non ſine ratione deſcendimus; & *vel blandiores*, carminantes, minusq; camarinam moventes, ſi paroxyſmus, & ætas &c. ſit blandior, *vel acriores*, præſertim, cùm paroxyſmus pertinaciter perſeveret, admittimus, additô in cauſâ melanchol. *elleborô*, in pituitosâ *agaricô*, & in biliosâ, *rhabarb. Vomitus* haud rarò ſolus Epilepſiam *(ſi conſenſu ventriculi foveatur)* ſolvit.

QUOAD EXTERIUS ADHIBENDA, *Ptarmica* ſeu *ſternutatoria* maximi momenti eſſe in ipſo inſultu, experientia, rerum illa Magiſtra, nos docet. Cæterùm nares irrigamus *ol. ſuccini, rutæ*, vel tantùm *ſuccô rutæ*, quem, pro præſenti & eximio remedio, deprædicant Medicinæ Proceres. Sic & *Rutam viridem* circa collum, pectusq; applicatam, ac cervici ſubſtratam, *l.10.obſerv.* elogiô ſuô dignatur *Foreſtus. Trallianus Rutæ contuſæ ſylveſtris* o-*58.in Schol* dorem naribus oblatum, pro ſpecifico habet. Idem *Thymum* *l.1. de arte* admovere mandat. Chimici *ſpir. ſulphuris volatilem*, naribus ol-*med. c. 15.* faciendum offerunt, ferit enim nares, & cerebrum; nec non diſcutit illas nebulas. Tempora & ſuturam coronalem oleis & balſamis *rutæ, caryoph. nuc. moſch. macis, roſmar. cinam. lavendul. major. ſuccini, ſpicæ &c. cum moſcho, ambra, cibetho, balſ. peruv.* &c. oblinimus: Sacculos è *ſpecieb. Diamoſch. arom. roſati, ruta, flor. lavend.* paratos, & Cataplaſmata ex appropriatis confecta, coronali ac ſagittali ſuturæ applicamus. Spinam dorſi inungimus *ol. chamoem. rutac. amygd. dulc. è caſtor. lumbricor. terreſtr.*

*Frictiones extremorum*, nec non *ligaturas doloroſas* nuſquam intermittimus, ut vapores maligni fiant *κατάῤῥοποι*, qui erant *ἀνάῤῥοποι*. *Quæ appenduntur* non contemnimus, nec *quæ cordi adhiberi debent*, negligimus, cùm hoc, in acceſſionibus epilepticis, non parum afficiatur. Ideò ejus regioni, vel manuum carpis *epithemata* vel *ſacculos cordiales* admovemus, admixtis ſemper iis, quæ peculiari quadam & propriâ vi morbo adverſantur, ejus cauſam diſcutiunt, longiusq; propellunt. Ipſas medicamentorum formas conſignare ſuperſedemus; proſtant enim innumerâ copiâ apud Viros plurimos, de re Medicâ æternùm meritos, tàm *Veteres*, quàm *Recentiores*, cujus dapibus ſeſe ſaginabit, quisquis hinc famelicus diſcedit.

CURATIO PROPHYLACTICA æſtuoſis, ſpumoſisq; paro-

paroxyſmi procellis ſedatis, ſua expandit vela, curſumq; proſequitur per viam *Diætæ*, *Pharmaciæ*, & *Chirurgiæ*.

Curationem quæ abſolvi poteſt per DIÆTAM, jucundiſſimam eſſe, graviter dixit, qui dixit. DIÆTAM igitur primò omnium canimus, utpote quæ medicinis reliquis januam aperit, quò intrent faciliùs, & feliciùs ſua munera exſequantur. Ideò qui facilè corripiuntur Epilepſiâ, verſentur in AERE lucido & puro, qualem, ſi cœli conſtitutio denegat, meliorandus per ſuffimenta, ita tamen, ne vapor nimius caput repleat, καρηβαρίαν inducat, materiamq; facilè mobilem, deteriorem ſeipsâ quietâ, reddat. Vitetur fœtidus, frigore, æſtuq; flagrans; vitentur radii Lunares *(in ipſo potiſſimum plenilunio)* à capite parum tecto. CIBUS ſit εὔπεπτος καὶ εὐανάδοτος, flatuum expers. Noxam ideo important omnia cruditatem inducentia, caro vetus, permacra, ſalita, infumata; omnia itidem lacticinia, caſeusq; vetuſtate ſqualidus. *Coturnicibus* maledicitur *à Plinio*, quòd carnes obtineant corruptioni facilè obnoxias, unde Febres, ſpaſmus & Epilepſia *(quibus ipſæ coturnices quoque obnoxiæ)* excitentur; Verùm, ex iisdem hodiè parata fercula Noſtratum menſis non planè exulant; & idcirco Natura eas remedium docuiſſe videtur, cùm illis *hellebori* indidit appetitũ, quô abundè paſcuntur. *Piſces*, in aquis mundis & petroſis vitam viventes, & quos porrigit avara manus, proſunt; Officiunt magni, præpingves, & in turbidis, ac cœnoſis aquis degentes. Teſtaceam cutem habentium eſum cavere oportet, eò, quòd frigidi ipſi ſint, & non adeò bonum pariant ſuccum. POTUS ſit cereviſia ritè cocta & defœcata. *Vinum*, medium inter novum & vetus, parcèq; ſumptum, ut concoctionem primam adjuvet, vireſq; proſtratas erigat, non poteſt non prodeſſe: Fugiendum generoſum, cereviſia item craſſa. Abſit omnis cruditas & crapula. Nocet potus in balneo, vel ſtatim poſt balneum, juxta monita *Pauli ex Ægina*. Ebrietas peſtis inſtar fugienda. FRUCTUS ſecùndum *Trall.* cavere ſaluberrimum eſt, voluptatis tamen gratiâ, modici offerantur, præſertim, quæ leviter adſtringunt, ut ſunt *caricæ*, *amygdal. piſtacia, uvæ paſſæ corinth. Nuces* prohibet *Valeſc. de Taranta*, & *Pineas*, & *fructus horarios crudos. Capparim Fuchſius & Nicolaus Piſo*

*l. 3. de re medic. c. 13.*
*l. 1. art. medic. c. 15.*
*l. 1. Philon. Pharm. c. 24.*

extollit. Cæterùm cum appetitu ſemper à menſâ ſurgendum; ſic enim vitabitur malitia coctionis. Ingluvies ſubſtringenda citra ſaturitatem; neq; tamen cum fame colluctandum. *Alvus* non ſit adſtricta, ſi verò excrementa plùs juſtô detineantur, Natura ad expulſionem erit proritanda, quod commodè perficitur *Cryſtallis* vel *Cremore Tartari*, ſummo illo tàm alvi, quàm tartari, in venis Meſaraicis ſtabulantis, deoppilativo, aut *Tartarô vitriolatô*, medicamentô itidem, in morbis contumacibus & chronicis, digeſtione & mitigatione egentibus, potentisſimô. EXERCITIA modum non excedant, præcipuè *in plethoricis* aut *cacochymicis*. Vitetur Laſſitudo. *Frictiones* crebriùs inſtituantur, etiam extra Paroxyſmum, incipiendo à brachiis, ac deſcendendo ad pectus, ventrem & crura, quò recrementa ſurſum viam affectantia, ad inferna & ignobiliora revellantur, ultimò tandem & caput ipſum perfricandum. *Ligationes doloroſæ* ejusd. ſunt efficaciæ. *Somnus* (verba ſunt Tertulliani) *eſt recreator corporum, redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, laborum medicus, cui, legitimè fruendo, dies cedit, nox legem facit &c.* ſit igitur & hic moderatus, & nocturnus; *nimius*

*l. 1. de cur. morb. diut. c. 4.* enim (ùt præclarè, præclarus Aretæus) *craſſitudo eſt, otium nebula ſenſuum; bonum verò mediocritas*; diurnus vitetur, vitentur & inordinatæ vigiliæ. ANIMI PATHEMATA vehementia, ceu *Terror, Ira*, ad Garamanthas ableguntur. *Lætitia*, non tamen effuſa, cùm animum recreet, ſvadetur; *Triſtitia* non ita.

PHARMACIA propriè *Cacochymiam* reſpiciens, abſolvitur per *evacuationem* vel *univerſalem*, per Catarctica, Diaphoretica & Diuretica; vel *particularem* per Errhina, Sternutatoria, Maſticatoria, non omittendo, quæ viciſſim & cerebrum benigniùs aſpiciunt, ut ſunt, *Corroborantia Cephalica*, & ἐνέργειαν ſuam ab extra ad intra transmittunt, quæ dicimus *Amuleta*. De prioribus prius.

Antequam igitur corpus per electivè trahentia purgemus, tutum eſt humores & vias præparantia priùs præmittere, ut *ſerio inculcat Senex ille Cous dicens: Corpora cùm quis repurgare voluerit, fluxilia illa faciat oportet.* Igitur *Sect. 2. aph. 10. & Sect. 7. aph. 66.*

MATERIAM PHLEGMATICAM PRÆPARANTIA *è ſtœchade, Beton, Pœon. florib. til. lil. convall. primul. veris* (quæ capiti

piti ſacrantur) è *Mentha, Calaminth. Abſynth.* (quæ ventriculo) *ex Agrim. Eupator.* (quæ Epati) *è Scolopendr. Fumar. Meliſſ.* (quæ ſpleni & utero) eliciuntur & parantur; cujusmodi ſunt *Aquæ ſtillatit. Syrupi, Conſervæ*, & multivaria auxiliorum genera alia, quibus ſi *Spiritus Vitrioli* ſeu *Phlegmatis Vitrioli* parùm inſtillaverimus, præſtantiores exerent operationes. Quamvis potiùs, ut liberè fateamur, ambiamus *Tincturas* & *Eſſentias ipſas*, non quidem Saccharô tumidas, Virtute autem turgidas, minùsq; faſtidioſas. Præparatam ita Pituitam totaliter EXHAURIUNT *Agaricus, ſimplex* & *Trochiſcatus, ab Ægineta* in hoc morbo ſingulariter commendatus, *Myrabalan. Chebul. Cartham. Aloe, Mechoac. Trochiſci alhandali.* Chimici offerunt *extractiones Diacarth. ireos, pæon. Spir. aur. Rulandi, Fæculam* item *bryon.* & *pæoniæ:* Quæ, ùt doſin conſtituunt minorem, ſic efficaciam important majorem, ab ægrotis etiam blandiori excipiuntur vultu. Accedit his *Electuar. diaphœnic. maſſa pilul. aurear. cochiar. alephanginar. maſtichin. fœtidarum*, ſi uterus ſit ſuſpectus. *Joſephus Quercet. pulverem purgatorium* deſcribit, ad omnes morbos frigidos, cerebri apprimè utilem, illumq; etiam ab Epilepſiâ, & ejus ſymptomatibus diris ac duris immunem reddere affirmat.

*l. 3. de re med. c. 13. in fin.*

*Pharm. reſtit. c. 15. p. 377.*

Inter BILEM PRÆPARANTIA excellunt *Aq. Roſar. ceraſor. nigr. fragor. portulac. cichor. Syrup. Cichor. ſimpl. & cum Rhab. Rob. Rib. & Berber. Syr. ceraſ. cum fl. tunic. acetoſit. citri, & è ſucco acetoſæ. Tartari Cremor* albisſimus, *criſtalliq;* nitidisſimi. Bilem EVACUANT, *Caſſia, Manna calabr. Rhab. Syr. viol. & roſar. ſolutiv. Diagrid. Iialap.* & eorum magiſteria, ſeu potiùs gummata, vel fœculæ quæ duo, etiam bilem, & omnem ſeroſitatis eluviem educunt

MELANCHOLIÆ contumaciam obtundunt *Syrup. abſynth. capill. veneris, de Epithymo, eupator. fumar. borrag. bugl. de pomis, flor. geniſtæ. Syrupum Helleboratum* deſcribit *Quercet.* ad Epilepſiam apprimè utilem. His commodè adduntur *Aq. ſtillatitiæ Dogmat. Bugl. borrag. fumar. veron. Scabioſæ*, quarum indoles *Spiritu Vitrioli* & *Nitri* vegetior reddi poteſt. Eandem totaliter EXTERMINANT *Polypodium, fol. S. Helleb. niger, fæcula, ſeu Gummi Mechoacannæ nigræ.*

*Pharm. reſt. p. 299.*

Si verò quod plerumq; accidit, plures ſimùl peccent

 humo-

humores, tàm *alterantia*, quàm *purgantia*, etiam ad plures dirigenda humores, admiſtis ſemper quibusdā *Antepilepticis*. Neq; etiam ab *Antimonio* & *Mercurio Vitæ*, SI VOMITUM movere animus, abhorremus; quæ tamen cum ſale adhibenda cenſemus: *Ut enim in curatione nihil negligere, ita etiam nihil temerè moliri oportet, juxta Præceptum Hippocratis, Cedro dignum.*

Neque ſupervacuam Humorum exſuperantiam, & impuram corporis molem, ſemel, & universè demoliri licet; nam tàm repentinam mutationem Natura non ferret; ſed ſenſim ac pedetentim, ut, quæ longô tempore contracta ſunt, lentè quoq;, citrà virium offenſionem, tollantur. Ideò EVACUATIO inſtituatur bis *in Vere;* in *Autumno* bis, non neglectis præparantibus, cerebro & nervoſo generi familiaribus, & vi ſpecificâ Epilepſiæ reſiſtentibus. Neq; tamen etiam illud *ſolis medicamentis* præſtandum, ut quorum immodicô uſu, corpus nimiùm labefactaretur; *ſed tùm his, tùm victu tenui* & accommodatô; *hic* enim cruditates & luxuriantem corporis molem abſumet, *illa* verò ſupervacuos, & corruptos humores ſenſim excludent.

De *Pueris*, & *ætate inferioribus* illud monendum, quòd, quia ad aſſumenda, & perferenda medicamenta, minùs deprehenduntur idonei, ad *matrem* SEU NUTRICEM præcipuum curationis ſtudium verti debeat, ipſaq; ſit tractanda ut epileptica; à nimiùm tamen attenuantibus ſemper cavendum, ne ſangvis menſtruus proritetur, & lac imminuatur. A vino arcenda eſt. Vitet coitum, & ſi abundet malis ſuccis, purgetur, pro ratione humoris peccantis. Si ſangvis vaporoſus redundet, levis fiat miſſio ſangvinis, ad eventilationem. In omnibus ſumma impendatur opera, ut ipſa proſperè valeat, & ſalubre lac, ad cunas vagienti corpuſculo, præbeatur.

Alterantes & Evacuantes Medicinas, ſeqvuntur eæ, quæ per ΔΙΑΦΟΡΗΣΙΝ & *inſenſilem transſpirationem* munus ſuum fideliter exſeqvuntur, materiamque, altiùs radices agentem, adeò, ut ne quidem vacuantibus cedat, penitùs exſtirpant. Commendatum habemus *Decoct. Lign. Gvai. Sarſæparigl. Lign. Saſſafr. viſci q. Radic. Pentaphyll. Chinæ, Pœon. Buxi lignum* non pauci ad cœlum evehunt, ſive in decocto propinetur, cum

ante-

antepilepticis, ſive olei aut extracti formam induat. *Spiritus* & *eſſentia Vitrioli*, *Spiritus Tartari vitriolati*, *Spir. lign. Gvai. ligni & viſci querni*, (illius in Lue Gallicâ ſuccedaneum remedium) *Spir. ligni Coryli & Buxi*, *Spir.* item *flor. ſamb. lil. convall. carduib.* quid præſtent, verbis vix exprimitur. Nec minùs *Salia* ſuam hic merentur laudem, ut ſunt *Sal Coryli*, *Fraxini*, *Sal volatile ſuccini*, *Sal fixum & volatile Cranii humani* ac *Cornuum*, *Salis* etiam *Scordii*, & *Juniperi* honorifica fit mentio. *Bezoar orientalis*, ut & *Bezoartic. minerale* & *Antimon. diaphoreticum* doſi à gr. 5. 6. ad ſcrup. ſ. ut & *Tinctura Antimonii*, propriô ſuô acetô extracti, & cum ſpir. vini circulati à gr. iij exhibita per ſudores, omnis generis corruptiones, etiam peſtilentes & malignas, è corpore abigunt, & expellunt. Cujus effectus ſtupendos, imò divinos, meritò gloriamur.

Quæ *Sudorem* movent, movent etiam URINAM, (*hæc enim duo, eandem habent materiam, è qua redundant*) quædam ſaltem addimus, quæ deſumuntur *è fœniculo*, *fragis*, *Chamæpyth. Chamædr. parietaria*, *ex emulſionib. Semin. melonum & violarum*. *Spir. ſalis*, *fragor. Gvajaci*, *Juniperi* ſubtiliſſimus eſt in hoc paſſu, ut & ipſe *ſpiritus microcoſmicus*.

PARTICULARI CAPITIS PURGATIONE, collectam vel receptam ob debilitatem cerebri materiam penitus avertimus, adjicientes ſemper ea, quæ, occultâ & ſpecificâ vi, ſimùl pugnant. Expeditur commodè per *Caputpurgia, Errhina, Gargariſmos* & *Apophlegmatiſmos*, quorum Libri Practicorum ſunt refertisſimi, qui conſulantur.

Poſtquam pluribus Naturam ægri corporis tentavimus, tandem ad CORROBORANTIA, cerebroq; gratam auram ſpirantia, ejusque diatheſin vel *naturalem*, roborantia, ne recipiat adverſa, iisq; reſiſtat; vel *præternaturalem* corrigentia, ut expellat noxia, devolvimur. Horum uberrima ſeges nobis ſe oſtendit. Aſt nos impræſentiarum lolium & ſiliquas relinquimus, ſpicas ſaltem ſelectiores decerpimus. Deſcendentes igitur in pratum

VEGETABILIUM amœnisſimum, criſtas attollere videmus, *Rutam* tàm *ſativam*, quàm *ſylveſtrem*; cujus vim inſignem in morbis, in quibus aliquando cauſa occulta latet, pro-

 bârunt

barunt non vulgares Medici. Criſtas attollere videmus *Radicem Bardanæ*, non ſolùm in morbo comitiali, ſed & in frigidis matricis diſpoſitionibꝰ, ſuam repræſentantem ἐνέργειαν. Criſtas attollit & *Viſcus quernus, Corylinus, & tiliæ*. *Pœonia* & *Bryonia* fœculas ſuas porrigunt uberrimas. *Rutæ Spiritum* ſuperiùs decantavimus. Paulò nos progreſſos, accedit

ANIMALIUM cohors, & ſpecifica ſua, quæ habet, liberrimè ad pedes noſtras deponit: *Unicornu* & *Cervus* ſua cornua. *Alce* exerit ungulas. *Aſinus* Calvariam, Epar, ungulasq́; crematas exhibet. Ejus conjux, *Aſina*, ſecundinam adjungit, ſuumq́; lac propinat. *Caſtor* ſeu *Fiber* ipſe ſe eunuchum faciens

*Juvenal. Satyr. XII.* — — — — — *adeò medicatum intelligit ingven.*

*Picas* & *Hirundines*, imi ſubſellii aviculas, fama extollit, quòd ſeipſas totas, non vitæ jacturam æſtimantes, uſui Medico exhibeant, duasq́; aquas ſtillatitias, quas ingrediuntur, & vi & virtute ſuâ antepilepticâ, & genuinô etiam ſuô dignentur nomine.

MINERALIUM numerus in gremio terræ cubat, & pro ſalute noſtra excubat. SOL, ſive *Aurum*, benignos & ſalutares ſuos in nobis expandens radios, potentiſſimum eſt confortativum, & ſuperat omnia alia arcana in roborando *Corde, Cerebro, Hepate*. Habet enim humidum ſuum ſimile noſtro, unde convertuntur citò in unam & eandem ſubſtantiam, & fortiori compagine ligatur humidum noſtrum, compagine duriori alterius; hinc fortiùs deinde reſiſtit omnibus vitæ incommodis. *Auri ſoror*, LUNA, ſpe noſtrâ de ſe conceptâ, non ſinit fruſtratum iri; ipſa enim eſt, quæ ſpecificè *cerebro* ſit ſacrata, ejusq́; morbis, ut *Epilepſiis, Maniis, Melancholiis*, tacitâ ac ſingulari ἐνεργείᾳ reluctetur, quinimò, ut Excellentiſſimi *D. Hartmanni* reſonat encomium, cerebrum ex anatomiâ vivâ ita confortet, ut quaſi novum reſtituat, *cum Luna ſit cerebrum externum, Cerebrum Luna interna*. Ita cerebrum cerebro junctū, conſtituit fortiſſimum cerebrum, morbis reſiſtens omnibus. Adeſto ergò mens noſtra, Solem Lunamq́; tuam venerare, & arcana ejus attentiùs rimare. MERCURIUS, *Aquila* illa *volatilis*, ingenioſæ præparationi, lubens ſe ſubmittit, inq́; cicurem ac ſvavem transformatur columbam, nec non medicinas con-

ſtituit

ſtituit utilisſimas, præſertim ubi ex *lumbricorum volutabro* halitus epileptici effumigant. Saburram omnium humorum, in *Utero* & *Stomacho* ſtagnantium, purgatione educit, ſangvinem purificat, ſeroſumq; ex eo depellit. Quæ in ſinu fovet JUPITER, non niſi promptisſima *ſuffocationum*, ac *hyſtericarum epilepſiarum* ſunt auxilia. VENUS arcanis ſuis *Epilepſiæ, Paralyſi, Lethargo, Suffocationibus matricis* jucundè medetur, mirificè unà roborat humidum radicale naturale, reſtaurando & depurando. MARS ſe non excludit, Tigride ferocior, quin ſubveniat miſeriæ Epilepticæ, præſertim *hypochondriacæ*, immanisſimas ſuas operationes, ſinit eſſe ab omni malo immunes, omni homini communes. *O benignum Jovem, amabilem Venerem, Martem mitisſimum!*

Non minoris ſpei, gloriæq; cenſentur arcana, quæ comprehendit ANTIMONIUM, quibus turget VITRIOLUM. Reprimunt & coagulant utraq; *(dextrè præparata, & non ſiniſtrè uſurpata)* ſubtiles illos, venenoſosque vapores è centro aliquo ad caput elevatos, imò ipſa cohibent fulmina epileptica. *Petr. Joh. Faber* deſumptam *è Vitriolo* quintam eſſentiam, Cardiacorum, Cephalicorum, Hepaticorum omnium, medicamentum indigitat præſtantisſimum, ſuperans omnia ſublunaria medicamenta; & ſi hominem mori non oporteret, edictô divinô, in perpetuas æternitates poſſe trahere vitam, hôc arcanô, affirmat, eò quòd ſit morborum omnium ῥιζότομον verum. *Myroth. ſpagyr. l. 3. c. 12.*

Piaculum eſſet, ſi PERLAS, CORALLOSq; ſilentii velô involveremus, benevoloq; Lectori eorum *Tincturarum* & *Magiſteriorum*, in Caduco uſum, non oſtendamus, quem tantum agnoſcimus, quantum dignâ laude, fateor ingenuè, ſat celebrare nequimus. Præter enim illud, quo dicuntur plurimis, ſi non omnibus contrariari morbis, *membra principalia* potenter confortant, *calidumq; innatum* mirè conſervant.

CRANIUM HUMANUM ſepulturæ non datum, ſed diu, noctuq; cœli aperti, & Jovis frigidis injuriis expoſitum *(ſepulto enim & abſcondito Cranio, Sal Terræ illicò conjungitur, & caro, dum reſolvitur per corruptionem, in ſalem abit, qui oſſa penetrat, & ſali oſſis calvariæ connectitur; aut ſi longiùs ambo permaneant, corrumpitur*

*pitur tandem cranium & diſſolvitur in corruptionem, quia Sal tum internus, tum externus corrodunt illud & diſſolvunt)* MUSCUM item Cranii; aut OSSICULUM verticis triangulare in Craniis Epilepticorum, ſive, ut volunt alii, ſtrangulatorum *(quia quilibet ſtrangulandus Epilepſiâ in Agone ferè corripitur. Illud autem ad ſuturam λαμϐδοειδῆ in quibusdam reperitur)* modô & mediô Chimicô exaltatum, à proprietate mirum & ſtupendum arcanum eſſe contra inveteratas & recentes Epilepſias, tàm per idiopathiam capitis, quàm communicationem aliarum partium inferarum, vapores ſurſum mittentium, contractas, certò conſtat. Alii SECUNDINÆ, à Muliere primiparâ excluſæ & ſiccatæ, mira tribuunt.

Quod de SANGVINE HUMANO, adhuc calente, epotò, nonnulli afferunt, inventum eſt Sagarum & Magorum deteſtandum. *Ita enim Celſus: Quidam jugulati gladiatoris vulneri Phialam ſubjicientes, ſangvinem calidum ſibi ipſis propinârunt, & ita à morbo caduco ſe ſe liberârunt. Verùm apud eos, miſerum auxilium, tolerabile malum miſeriùs fecit.* Poſteros etiam docuit Experientia, eundem Sangvinis hauſtum nihil unquam profeciſſe, ſed magis animum ferocem induxiſſe, unde Lucanus:

*l. 3. de re med. c. 23.*

*— — — — nullus ſemel ore receptus*
*pollutas patitur ſangvis manſveſcere fauces.*

*Spiritum* autem & *ſalem volatilem* ſangvinis humani, profuiſſe, crebrò compertum eſt experimentô. Æmulatur enim vires fixi vitalis ſpiritus, ex centro Terræ deprompti, quem antiqui omnes Philoſophi, vitæ noſtræ verum & unicum dixére propugnaculum.

Ex SUCCINO deprompta Medicamenta, nominatim a. *Spiritum* & *Oleum*, naribus vel Suturæ coronali inuncta, à Crollio, univerſoq; Medicorum concilio, Epilepticis, quemadmodum & Hyſtericis ſaluberrima judicari, imò pro arcano haberi eximio, non dicam, incomparabili, quis neſcit?

*Baſilic. Chimic. p. 355.*

AMULETA, Græcis περίαπτα vel περιάμματα, admovenda ordine ſeqvuntur. Inter ea πρόμαχον præſentat CORALLUS RUBEUS, collum *(ita, ut juxta Piſonem, & reliquos ſtomachum contingat)* & manus ambiens, quemadmodum etiam SMARAGDUS & JASPIS à collo penduli, occultâ proprietate,

tate, morbo reluctantur ex Arculani, Mizaldi & Hollerii ſen- *Hartm.*
tentiâ. VIRGULTA Sambuci, ſupra ſalicem progerminantia, *in Praxi*
& tempore paroxyſmi collo aſſociata, inſultus illos indubita- *Chimiatr.*
tò amoliuntur; morbus autem non ſit fatalis. RADICIS POEO-
NIÆ appenſæ experimenta paſſim exſtant. *Galenus, novi puerum, l. 6. ſimpl.*
*inquit, olim octo menſes, ab hoc affectu liberum, egiſſe, poſtquam hanc* *med. lit.*
*geſtare cœperat radicem, quæ, ut forte fortuna à collo delapſa eſt, rediit* Glyzyſidæ.
*mox affectus: iterumq; ſuſpenſâ denuò ceſſavit. Et, cùm experiundi gra-*
*tiâ, rursùm radicem abſtuliſſemus, comitialis convulſio viciſſim ingruit.*
Quod *Ætius* comprobat exemplô ſimili. A RADICE SOLA- *tetr. 2.*
NI, ſi in linteolo collo alligetur, maximum ac inſperatum re- *ſerm. 2.*
dundare levamen, Mizaldus æſtimat. Hinc latent ſine dubio *c. 17. in fi-*
in corporibus multis vires admirandæ, quas contactu ſuô in *ne.*
corpora noſtra expromunt, vel ἀπῤῥοαῖς quibusdam ſuis, vel *Centur. 5.*
immutatô continentur proximô aëre. Sed abſit, in horum uſu, *memora-*
ſuperſtitio, & præſtigiatrix impoſitura, à qua planè abhor- *bil. aphor.*
rentes, in præſentiarum *11.*

Pede tacitô tranſilimus aureos illos, quos de *Sigillis*, & aliis *Magicis* nonnulli pollicentur montes. Sic, famâ conſtat, quendam celebrem Chirurgum inſtructum fuiſſe *ſigillô*, cujus beneficiô duo eximii, & nominis celebritate conſpicui viri, ab Epilepſiâ, eaque (*quod rerum omnium primum & mirandum*) hereditariâ, immunes ſint redditi. Alius *ſigillô Leonis*, aut, neſcio quô, Epilepſiam profligâſſe jactitat. Ridiculam etiam, & odioſam ſpirant ſuperſtitionem, quæ habet *Valeſc. de Taranta*, *l. 1. Philon.* aſſerens, tàm ſibi, quàm multis aliis expertum eſſe, epilepti- *Pharm.* cos fulminatos eveſtigiò ſurgere, ſi trinâ vice dicta hæc in au- *c. 24.* rem inſuſurrentur, aut etiam Chartâ conſignata, collo alligentur:

> Caſpar *fert myrrham, thus* Melchior, Balthaſar *aurum,*
> *Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum,*
> *Solvitur* à morbo, *Chriſti pietate*, caduco,

Idem eodem ternario proceſſu ſeqq. verba in aurem deblaterat: *purget, & mundet, & muniat nos titulus triumphalis:* JESUS NAZARENUS, REX JUDEORUM. Ut nec minùs illud ex Evangelio: *erat ſpumans & frendens* &c. Verùm,

Nos hæc, & ſimilia ſuperſtitioſa, *cum Heurnio*, meritò *no-* *l. 3. pract. general. c. 28.*

*ctuas quaſdam Diaboli, ad aucupia & perditionem animarum humanarum natas*, intitulamus. Verum quidem eſt, *res naturales*, formas & virtutes ſuas conſequi ex corporibus cœleſtibus; ſed *figuras artificiales* nullam virtutem ab arte imbibere, aut aliam vim aſſequi poſſe, quàm qualem ratione materiæ obtinent, ita certum eſt, quàm quod certisſimum. Et *Auguſtinus*, *mendaces & ſtultos indigitat eos, qui figuris & Scripturis, lineamentis, verbis, ſeu vocibus ejusmodi poteſtatem, atq; vim miraculoſam tribuunt.* Sed quilibet & in his, & in aliis, ſuô abundant judiciô.

*l. 10. de Civ. Dei.*

CHIRURGIAM paucis attingimus. Occurrit primò VENÆSECTIO, cujus tutam & accommodam adminiſtrationem *in Paroxyſmo* nõ videmus, *extra eum* verò, & quidem in *eſſentiali*, ſi plenitudinis, viriumq; adſint indicia, & præ cæteris deniq; *Jecur* ſubminiſtret fomitem, commodè in dextro inſtituitur brachio, juxta *Cœlium Aurelianum*. *Aretæus*, ſi malum non cedit, *venam frontis*; *Avicennas*, *venas ſublingvales* aperit. Non incommodè & *Saphena* ſecatur, ſi à menſium, aut hæmorrhoidum profluvio ſuppreſſo, oriatur: ſi verò ab Aurâ frigidâ dependeat, ut & in malo inveterato, viribus non adeò robuſtis, & in ætate adhuc tenerâ, vix ſectioni venæ quis locus eſt. Quantitas conveniens emittatur, & potiùs parcior, quàm copioſior. Quod ſi quid & aliud Phlebotomiam interdicat. *Cucurbitulæ* cum *ſcarificatione*, tanquam ejusdem vicariæ natibus & ſcapulis, ſi luxurians; aut ſolis ſcapulis, ſi minor ſangvinis redundantia, affigantur. Peropportunum autem Epilepticis remedium *Maſſaria*, cucurbitulas determinat.

VESICANTIA in eſſentiali, deraſis capillis, univerſoq; capiti applicata, non exiguum præſtabunt uſum, ſi per ulcuſcula excitata, tenues humores continuò fluant, inſinuante id Hipp. ubi in hæc erumpit verba: *Ulcera capitis manantia, ſi fiunt pueris, eos à caduco præſervant.*

*l. de morbo ſacro.*

CAUTERIA actualia, ſi infigantur, largum exhibent uſum. Quidam in *ſutura coronali* ad humiditatem cerebri nimiam exſiccandam, maliq; materiam attrahendam & diſcutiendam apponi cenſent: ſed quia vix præcaveri poteſt, ne altiùs, quàm par eſt, adigantur, unde vicinæ membranæ inflammari queant, *magis* eadem *in occipitio*, vel *cervice*, vel *coxâ utraq;*, vel

etiam.

etiam *ad muſculum Deltoidem* in brachio, laudamus. Eô enim modô non raró humores à nobilioribus ad ignobiliores partes avertuntur, præſertim ſi inducta ulcera, *(quæ fontanellæ vulgò dicimus)* partes ad Διάθεσιν ῥευματώδη deduxerint. Tantum.

---

## COROLLARIA.

### I.

CEleberrimus Medicorum, *Johannes Crato*, à Crafftheimb *in Epiſt. ad*
ardenti votô ſollicitat: Utinam ante vitæ meæ exi- *Zvvinger.*
tum, veram Dignotionem mali Epileptici, verumque *à Scholzio*
remedium quis oſtenderet! Hinc meritò *collect. Ep.*
Quærimus, *137.*

*An detur etiam morbus aliquis ſuâ naturâ incurabilis?*

*Affirmamus Nos.* Diſertè enim Hippocrates: ἅπαντας τοὺς *1. progn.*
ἀσθενέοντας ὑγιέας ποιέειν ἀδύνατον. Idem inter alia Medici of- *t. 2.*
ficia ponit, *Morbos curare poſſibiles, impoſſibiles verò, cur ſint curatu* *l. 1. de*
*impoſſibiles, non ignorare.* Non diſſentit Galenus, qui *Noxas ine-* *morb.*
*mendabiles* agnoſcit; & alibi, *Ægros* pronunciat *inſanabiles.* Sen- *10. Meth.*
tentiis horum ipſa ſuffragatur EXPERIENTIA. Taceo cau- *med. circa*
ſam ſæpenumerò præpotentem, nobisq; occultam, quam *fin.*
τὸ θεῖον appellat Hippocrates, & de quo ſemper vult cogitare *11. Meth.*
Medicum, antequàm quendam aggrediatur morbum. *med. c. 9.*

### II.

*Motus Sternutationis*, inquit Avicennas, *eſt quaſi motus Epilepſiæ*
*levis, & Epilepſia eſt quaſi ſternutatio multa & fortis.* Unde Riola- *in partic.*
nus Conſvetudinem hanc, ut benè precemur ſternutan- *meth. benè*
tibus, invaluiſſe conjecturatur, ac ſi rogemus Deum, ut præ- *med. c. de*
ſervet illos ſternutatores ab Epilepſiâ. Et certè, ſi Paroxyſmus *ſternutat.*
ſternutationis eſſet ita longus, ſicut in Epilepſia, ipſes non
differre inter ſe, jurares.

*DEO præpotenti, ἀρχιάτρῳ maximo,*
*ſit* LAUS, HONOR & GLORIA,
*in ſæculorum ſæcula!*

*Queîs Epilepſiæ mala vix numeranda medelis*
*poſſint domari, perdoces.*
*Non opis hoc mediocris! opus vigilace labore,*
*ſi qui velint hoc diſcere.*
*Tu tamen adgrederis, cœptis felicibus, Hydram*
*totum revellens verticem.*
*Res grata hæc ſtudiis; res eſt hæc grata Parenti,*
*quem Jova Tecum ſoſpitet.*

CLAUDERO

Philoſophiæ Magiſtro dignisſimo, medicæ theoricæ & practicæ cultori ſtrenuo, auditori ſuo ſedulo, hoſce egregios profectus gratulatur, laudandisq; conatibus ex animo feliciter apprecatur,

Gvernerus Rolfinck Hamburg. Præſes.

---

*Quàm ſis inſtructus, medicas quàm natus ad artes,*
Indomiti morbi *ſat documenta probant.*
*Primitia offers Cenſoribus, atq; Brabevtis,*
Claudere, *Aonii ſpesq; decusq; chori.*
*Perge, nec à cepto ſtudio deſiſte, ſed urge*
*Impiger ingenio, quod benè cœpit, opus.*
*Et tandem egregiam laudem, & ſpolia ampla tenebis,*
*Si te Doctoris nomine* Jena *beat.*

Doctisſime Dn. Magiſter Claudere, non invideo, ſed, quod prævideo, id animitùs voveo, tuumq; candorem Candidè adjuvo, Ego, quem noſti, ſincerum tibi,

Wolffgangus Ulricus Amthor Phil. & Med. D.

---

*Exſugunt nervos Epileptica tempora Mundi*
*Mundo; quid miri? mundus ut ipſe minor*
*Morbum demonſtret nobis ſupereſſe caducum;*
*Dum ſint immenſi cuncta caduca ſoli.*
*Eſſe caduca Soli nunc omnia, monſtrat in illo*
*Immundi mundi ſors tremebunda piis.*
*Grator, & è plauſtris: Binos qui tollere morbos*
*Eſt potis hic ſat erit Magnus Apollo mihi.*
*Si facis hoc non connectet poſterrima ſerta*
*Mî Claudere lubens ſancta Hygiæna tibi.*
*Illuſtrem illuſtris Medicus nunc lampada præfert*
RÖLFINK, *qui præſes non ſine laude cluet.*

Caſp. Amthor Med. Lic.